

Dilecte Fili Nobilis, Vir salutem et Apostolicam benedictionem. Pertinet ad Carissimi in Christo filij Nostri Philippi Regis gloriam ecclesiastica iura ac rationes salva undique atque integra in eius regnis provinciisque custodiri. ea uero, quod non mediocriter in Nouariensi ecclesia sedis uiolarique uideantur, petimus a Nobilitate tua, cuius eximiam in Deum pietatem et in hanc Sanctam Sedem obseruantiam perspectam habemus, quidquid adhuc usque aduersus illa factum est, quam primum corrigi emendarique uelis. S. Iulij Insula ceteraque Nouariensis Episcopi ad Ortensem lacum ditio, que ad eum ut directum ac legitimum Dominum spectat, grauius oneribus afficitur externis ibi militibus in hiberna collocatis, a quo incommodo ut etiam ab alijs omnibus, immunita liberaque ea semper loca fuerit. Hoc Episcopi et Ecclesie illius detrimentum ac preiudicium, ut quam primum tolli cures, magnopere te atque enixe rogamus. Nouimus que sit erga Dei res deuotio tua; scimus cum religiosissimi Regis Administrato nos agere, qui propterea nihil magnificentius ea laude ducere debet, qua adeo Austriaca Domus semper floruit, que ex Ecclesie defensione paritur, cuiusque te diligentem atque egregium imitatore futurum speramus. Nobis, qui pro pastoralis Nostra sollicitudine diligenter providere debemus, ne quid de Domine domus rebus deperat, gratissimum id longe erit qui ex Nobilitati tue felicitatem precamur et Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die xiiij. Ianuarij MDC LVij. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Natalis Londinensis.



ALEXAND R LVII

1657 13/I

Dilecto Filio Nobili Viro Comiti Funsildanię
Status Mediolani Gubernatori.

162



Morbio 27 (50)

